



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulvm IX. Exhibita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

2. c. 34. n. 193. Idque maxime locum habere debet spectato jure novo *Clemens, unica hacten.*

CAPITVLVM IX.

Exhibita.

PARAPHRASIS.

Inter Abbatem, & Conuentum monasterij S. Martini in Pannonia ex una parte, & Praepositum Albanensem ex altera lis orta fuit super decimis. Ea delegata fuit Capellano Papae in Pannonia commoranti, in eundemque & Magistrum M. partes tanquam in arbitros compromiserunt; ij pronunciarunt, si Praepositus a Regellngaria impetravit decem millia solidorum, concedi monasterio; quod monachi cessare debent a decimarum petitione: super hoc pronunciatum, cum Gregorius IX. consultus fuisset, mandauit is quibusdam Abbatibus: quandoquidem permutatio spiritualium cum temporalibus reprobata est, ut si ipsis, ita rem actam esse, constiterit, ut dictum arbitrium, & quod ex eo secutum est, irritum esse decernant.

SUMMARIUM.

1. In iudicem delegatum tanquam arbitrum compromitti potest.
2. Compromisso in aliquos tanquam arbitros transactionis vicem habere potest.
3. Jus decimarum clericatum pro re temporalis permutari non potest.
4. Transactio proprie dicta, auctoritate partium facta, non valet, si uni litigantium adjudicetur quid spirituale, cum obligatione solvendi alteri parti temporale aliquid.

Notandum primum. In iudicem delegatum compromitti potest tanquam in arbitrum c. litteras 14. de praesumptionibus c. nisi 21. de praebendis.

Notandum secundum. Si in unum, vel plures compromittatur tanquam in arbitros, seu compositores, id cuiusdam transactionis vicem subit *authent. ut differentes iudices collatione 6.* ubi id Gl. monet v. *conuentum*, atque ex eo apparere ait, quia non totum id, quod auctori debetur, arbitratores faciunt eidem praestari; interdu enim reum, aduersus quem nihil probatum est, aliquid praestare iubent. Vide, quae dixi lib. 1. *Decretalium in rubricatis. de arbitris.*

Notandum tertio. Jus decimarum Clericalium, cum spirituale sit, & in spirituali titulo fundatum, & non potest pro re temporalis commutari, multo minus vendi, adeo, ut talis contractus, & quidquid ex eo secutum est, ipso jure irritum sit: quocum non pugnat, quod fructus decimales vendi possint, imò etiam facultas percipiendi ad certum tempus locari c. 2. de locato. propterea si jus decimarum a titulo spirituali legitima auctoritate abstractum sit, absolute, & in perpetuum vendi non est illicitum.

Notandum quarto. Non valet arbitratoris pronunciatum, quo decernitur, ut causa dubia super jure spirituali uni litigantium adjudicetur, is verò propterea gravatus sit, alteri parti pecuniam, aliudve pretio aestimabile solvere. Consentit c. super eo 7. de transactionibus & c. 2. de arbitris. Neque ob stare debet c. nisi 21. de praebendis. rectè enim respondet Gl. in c. 2. de transactionibus. quod transactio, proprie sumpto isto vocabulo, fieri non potest super re spirituali, ita, ut detur aliquid temporale, cum sit Simoniacae pactio, siue à partibus initium habuerit c. cum jam 4. de pactis. c. constitutis 4. de transactionibus, siue ex arbitri, vel arbitratoris pronunciatum, prout hic apparet, & in c. 2. cit. junctà Gl. v. *quinque marchas.* & docui in cit. c. super eo: nam transactio est in re dubita, non gratuita pactio, prout docui lib. 3. tra. 4. c. ult. idèoque si super re spirituali v. g. jure decimarum, dato aliquo temporali, proprie dicta transactio fiat, tunc jus saltem dubium alteri parti compe-